

Meditationes atque observationes, de admirandis animae praecipue humanae effectibus ... // Michael Alberti.

Contributors

Alberti, Michael, 1682-1757.
Schroeck, Lucas, 1646-1730.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magd : Litteris Christiani Henckelij, [1713]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/yk4g2h4y>


License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30772060>

MEDITATIONES ATQVE OBSERVATIONES,
 DE
ADMIRANDIS
ANIMÆ PRÆCIPUE
HUMANÆ EFFECTIBUS,

V I R O
 ILLUSTRIMAGNIFICO
 AMPLISSIMO EXPERIENTISSIMOQVE,

D N. L U C Æ
SCHROEKIO,

MED. DOCT. CELEBERRIMO, SAC. CÆSAR. MAJEST.
 ARCHIATRO, EJUSQUE PERSONÆ IMPERIALIS MEDICO SPLENDIDISSIMO,
 COMITI PALATINO CÆSAR. SPECTATISSIMO, S. R. I. NOBILI REIPUBLICÆ
 AUGUSTANÆ PHYSICO DEXTERRIMO, FELICISSIMOQVE, ACADEMIÆ
 IMPERIALIS NATURÆ CURIOSORUM PRÆSIDI DIGNISSIMO,
PATRONO ATQVE FAUTORI SUO DEVENERANDO,
 EPISTOLIO HOC SALUTATORIO
 commendat & infinuat.

Quocum infimul

Tam Dignitatem quam utilitatem *ψυχосоφίας,*
 ut in Philosophia Morali, ita & in Medicina Theoretica æque
 atque Practica exponit,
 offendicula quædam, hanc Doctrinam prementia, diluit atque removet,
 & pro meliori æstimatione ac observatione cum corporis vivi, tum etiam har-
 moniæ inter Mores & vitam
 actus hos singulares recenset & illustrat

D. MICHAEL ALBERTI,
 Prof. Publ. Extr. & Reip. Norib. Phys. Ordin.

VIRO ILLUSTRIS
MAGNIFICO CELEBERRIMOQUE,

PATRONO ATQUE FAVORI SVO MAXIME COLENDO,

Ευσεβίαν.



Uod præsentibus TE,

VIR. MAGNIFICE, compellem literis, arduasque Tuas curas, & salutaria negotia interrumpam, non præcoci temeritati aut cespitanti modestiæ accensebis, sed quantum quidem de humanitate ac candore

Tuo, inter exteros jam affatim noto, spero, honestæ & sinceræ voluptati Tuo delectandi atque fruendi Patrocinio ac Favore, benevole adjudicabis. Quas enim circumactò modo aliquo tempore splendido Tuo Nomini, per Excellentissimos Viros DN. D. LOCHNERUM & DN. D. THOMASIVM, Collegas & Fautores venerandos, transmissas observationes Medicas annuente Favore & serena fronte excepisti, eadem animum mihi erexerunt, quo publico quodam Epistolio Te salutare, variasque alias meditationes meas, quamvis obtuso calamo humilique stylo conceptas, Prudentiæ Tuæ insinuare, inque laudatissimæ Dexteritatis Tuæ gremium dimittere, queam debeamque. Quam unquam enim & præstantiorem, jucundiorum & utiliorem materiam aut reperire aut seligere potuissem, ex qua Tecum differere mihi liber campus pateat, quam si animæ humanæ obscuras quantisper vires atque actus evolvam & circa eosdem mentem meam declarem. Id quod tanto majori jure præstare dignum reputavi, cum in hoc negotio tam præceptus sit occasio cæcutiendi, & in alios diffitos & difficiles causarum anfractus diffundendi atque

aberrandi, ne crassissimis contemplationibus, atque materialium solum respectuum observationibus inhærendi, dura illa necessitas ultro urgeat. Non quidem placet in otiosam atque odiosam *ψυχολογίαν* excurrere, & vulgares fabellas, plurimum metaphysicas occinere, sed illa, quæ ad sensum Moralem & censum Medicum pertinent, explicare, proficiet. Minime enim latet, quomodo degeneraverit hæc *ψυχοσοφία* in posteris etiam ævis, ut propterea *Guilbertus Cognatus* jamjam permotus fuerit, animam *rem monstrorum monstruosissimam* appellare, præprimis cum ad monitum *Pythici* illius *Oraculi* notitia sui ipsius magnis quidem nominibus commendata unquam fuerit, Sophisticis vero, vel vacuis atque umbrosis rationibus & demonstrationibus explicata & complicata, existat, ut ea propter tædiosum sit, steriles illas altercationes circa cognitionem essentiae animæ occupatas, & adhuc extravagantes, exaudire; quem frustraneum modo laborem non male *Seneca Quæst. Natur. Malebranch. de inquirend. verit. Peiret de cogit. ration. Thomasius Jurispr. div. aliique* discussierunt. Ast, certe mihi nullus dignior in rebus Scientificis labor videtur, quam qui in inquirendis viribus atque motibus animæ solers atque attentus existit. Ubi quidem penitus vereor cum *Alcmæone Pythagorico* in illam confusionem descendere, qui ipsam animam in motu consistere, asseruit, dum, illud consistere, adhuc sanæ rationi multis difficultatibus immersum, non frustra videtur, quod ab illa confusa declamatione, quasi anima nihil aliud, quam motus sit, haud multum abludit. Quin fordent ridiculæ illæ fabellæ, quas *Cartesius* de anima animique passionibus non in aurem, sed in publicum, dixit, ex cuius *ψυχολογία*, rectius *ψυχολογία*, uti ex reliqua illius Physica doctrina, facilis datur lapsus vel in Naturalismum vel etiam Atheismum, vel in idololatriam Philosophicam, dum motum pro movente, actum pro agente, configurationem partium, pro altio-

ri principio dirigente, materiam intellectivam supponit, statuit, defendit: quamvis non deficient, qui Cartesium ob id mirifice extollere gestiunt, quod priscos errores in *ψυχοσοφία* emendaverit, cujus contrarium vero rectius attestatur *Petr. Poiret de Erudit. Solid.* ut & Autor tractatus *Voyage par le mond du Cartes.* Nec non illi vestem perdunt, qui obsonium quærunt in Philosophia, antiquioris *Xenophanes* & posterioris *Roberti Fludd* qui animam Spiritum appellantes, Mysticam nudam animæ Philosophiam & cognitionem affectant ac declamant; Vulgares vero operationes animæ vel neglenter observant, vel otiose explicant: Sed cum ex his scopulis permeandi & emergendi facilis sit occasio, otiosum etiam esset, diu hisce gurgitibus inhærere. Quid vero magis evidens est, quam indies observare posse illos patheticos animæ motus, in quantum meris moralibus æstimationibus indulgent, ex quo admirari quisquam posset, in quem finem & ob quam necessitatem iracundia, terror, timor, tristitia, gaudium, desiderium exercentur atque foveantur, quo ordine & quo nexu, & qua ratione unum acceptum, alterum adversum reputetur, cur adversum non sit, aut non possit esse, gratum & jucundum, nisi hîc præmaturum animæ motum & conclusionem imo præjudiciosam argumentationem accusare facile quisquam possit, cum anima nostra longe simpliciore ac tranquilliori procedendi & operandi modo objecta apprehendere, comprehendere, & veriori sensu observare & intelligere posset: quidni enim iræ fervor, terroris vis, timoris efficacia impediret cursum ad veritatem collineantem? quidni æstimatio adversi præmaturum sæpe conclusum de accepto formaret? unde irrepsit illa frigida defensio atque excusatio, quod de sensibus disputandum non sit. Ubi iterum vix ferulam & castigationem evitat, aut subterfugit Cartesianum illud figmentum atque insomnium de intellectu mere passivo atque physico, quasi objectis illa insit vis

æstimationem hanc excitandi & disponendi, cui favet vulgaris canon, quod objecta moveant sensus, cum perversa sua interpretatione, quasi objecta absolvant atque dirigant sensus, nisi huic cespitationi manifeste contrarietur, simplicissima observatio, quod hæc æstimatio sit negotium fugitivæ cujusdam deliberationis de malo & bono, vel vere tali vel supposititio & præconcepto. Sunt vero hi admirandi sane animæ effectus, quorum nullæ prostant rationes, nisi quæ petitionis principii argui possent, dum vulgo quæstioni, cur irascitur, contremiscit, timet anima, responsum fit, eccur rebus sic aut aliter stantibus & succedentibus, irasci, terrore percelli, aut timore angi quisquam non deberet, quin si ad incitas redigitur Philosophia hæc, nisi ultima illa exclamatio intercidat, cur anima est erronea! ut proinde verum illud fiat *Philosophi* effatum, *quod tota vita humana erroribus transigatur*. Ecquidni, ut admirandi, reputandi hi veniant actus? qui animæ humanæ post lapsum essentielles fere sunt, quatenus nunc ut corrupta assumenda & observanda est, dum hæc recta & vera de objectis sentire credit, quæ tamen falsa atque fictitia existunt: Imo cum admiratio non raro aliquo ignorantie nævo labore, hi merito admirandi sunt actus, qui ignorantur, quod erronei sint: Id quod olim jam sapiens *Socrates* contra *Sophistas* strenuè defendit: Tanto magis admirationem promeruit, qui hæc patheticæ animæ commotiones in actus vitales transferantur, & quidem admiratione digna est hæc quotidiana observatio, hodiernis imprimis temporibus, ubi ordo & œconomia actionum vitalium ab animæ influxu, concursu & unico directerio tam rigoroſe separatur, nisi ad nauseam illos paralogismos obtrudi audiamus, quod in hoc solo animæ concessum sit, ut corpus suum alteret, ubi vero adhuc irresolutæ supersunt quæstiones? Cur non in aliis circumstantiis? ob quem finem in hac sola? quo nexu in hac sola? quo ordine, qua dependentia, qua causandi, fiendi, suc-

cedendi & exeundi ratione? &c. Videtur interim quasi hæc observatio, ut vulgaris, nulla ulteriori consideratione, nedum admiratione digna esset, dum adeo frequenter occurrit: at tamen quamvis Historia facti plana atque certa existat, nondum tamen liquet, quamobrem hæc ita fiant, & an corpus, in quod hæc alterationes redundant, de usu illo, quem sibi in moralibus ex hisce pathematibus effingit aut promittit anima, participet. Et quonam connectendi ordine posset Medicus judiciosus atque rationabilis exacerbationes morborum per animi pathemata non modo vere intelligere & prudenter explicare, sed & ita adæquate tractare & mitigare, uti huic harmoniæ inter mores & vitam conveniens esset: dum in contraria parte nude physicæ contemplationes, sive materialium affectionum austeri & severi respectus, moralium vero & finalium intentionum neglectus, salutarem Therapiam indies deludunt, atque destituunt. Hinc optimum etiam illum judico Medicum, qui in doctrina Morali bene & accurate versatus, certus & firmus est; quin ausim asseverare, quod hæc doctrina longe præstantiorem & usum & utilitatem in Medicina tam Theoretica quam Practica ministraret, quam per innumeras laudes deprædicata illa Physica, utpote quæ lepidis illis & toties transfiguratis particularum Chimæris immersa, nihil nisi inanes stimulos, aculeos, vellitationes, irritationes, aut alioquin factas & fientes obstructions, fermentationes, sexcentorum salium generationes, aut ætheris vel impeditos vel auctos & impulsos concursus & intercurfus, temere effingit, male applicat, jejune explicat, eoque ipso Medicam utilitatam penitus destituit. Quemadmodum vero hæc quæ dicta sunt, Moralem Philosophiam spectant, ita maximopere etiam Medicinam illustrant, ut minime necesse sit speculativis solum respectibus inhærere, sed liceat & deceat practicum præprimis usum observare. Admirantur inter alia multi, quæ fieri possit, ut tanta copia sanguinis in diversis subjectis vel indies vel alias etiam frequenter

ter profundatur, dum in aliquibus, præprimis in puerulis aut adolescentibus, narium hæmorrhagiæ tanta ubertate succedunt, ut in admirationem plebs cumprimis rapiatur, unde omnis hic sanguis oriatur, & cur non omnem sanguinem ad ultimam, ut ajunt, usque guttulam excreverint, nisi hic occurrat ratio & æstimatio jucundi & adversi in natura humana actû talem excretorium absolvente, quæ ad intentionem exercendi hujusmodi actus, majori semper activitate tantum sanguinis citius reparat, quanto ad novam excretionem indiget, & in reparatione sanguinis jucunditatem, in excretionem vero adversationem fovet & exhibet: Sub hoc vero jucundi & adversi æstimatione errores non exiguos in œconomia vitali committit. Et quidni naturæ jucundum fuerit, si plus sanguinis colligit imo coacervat, quam quantum ad quotidianos usus requirit. Quidni adversum extiterit, si sanguinem excessive expellit, etiam cum vitæ suæ jactura, ut tandem in utroque statu conspicui errores emineant. Simili ratione pingvescentia, appetitus liberalis, Pica & Malacia gravidarum, quin reliquæ harum immoderatæ *δυσζεις*, in æstimatione jucundi consistunt, quæ æstimatio non modo individuo molesta, sed & cum tempore noxia & inimica evadit. Ita etiam singulæ excretiones, & molimina excretoria ratione adversi innituntur, quantumvis natura nullos tales ad excernendum apparatus institueret, nisi materiam eliminandam ut adversum objectum vel vere reputet & dijudicet, vel etiam perperam præjudicet: ast an non in hisce negotiis multi errores intercedant, experientia attenta observare & judicare docet. Comprehendunt itidem peculiarem considerationem adversi, Sontici illi humorum raptus ad caput, quorum Veteres frequentem mentionem faciunt, quibus cum natura etiam in febribus acutis, cumprimis adversum & molestum sanguinem prosequitur, quem è capite effundere toto studio imo non raro magno cum impetu laborat; Ad qualem generalem adversi ideam formandam, disponi potest atque solet natura per V. Sectionem in ejusmodi febribus præ-

præpostere celebratam, per remedia & regimina vel positive calida imo etiam volatilia, vel positive refrigerantia, per simplicem symptomatū febrilium, præcipue vero æstus, virium dejectionum, niमारुm vigiliarum &c. curam; quod maxime in subjectis junioribus, activioribus, plethoricis, sensibilioribus, ad movendum promptioribus, ad hæmorrhagias magis inclinantibus, vel iisdem ante hac adsuetis contingere solet: utpote quas circumstantias non negligenter aut superficialiter passim & observavit & commendavit *Hippocrates*: quod vero ejusmodi ἀτοκῶς formatæ ideæ multis periculosis & difficilibus successibus atque eventibus expositæ sint, vel ipsa Synocha putrida, a priscis Medicis allegata, vel alia composita febris, acutam periodum & indolem fervans, abunde comprobant. Admirandus etiam animæ humanæ effectus est, fictitia illa grati æstimatione, innixus, quando in superficie corporis varia concrementa fibrosa, carnosæ, membranacea, vasculosa, nervosa, filamentosa, squamosa extraordinaria plane activitate, ut fungi, sarcomata, & illæ Epigeneses, Paracelso imprimis Natta & Talpa, dictæ, verrucæ, nodi, strumæ, polypi &c. emergunt, in quarum remotione nulla melior deprehenditur cura, quam quæ per Sympathiam efficax est, ut contactus manus mortui (cujus efficaciam peculiari solertia describit *Wedelius A. N. C. dec. 2. an. 1. obs. 11.* sudor emortualis, aut modo demortui hominis, assumptio potus ex cranio hominis, impositio manus regiæ ad strumas, cujus peculiari studio mentionem injicit *Andreas Laurentius in cura strumarum*, ossium humanorum, calcinatorum usus, quorum efficaciam in dysenteria laudavit *Ledelius Dec. 2. an. 2. obs. 38.* aut quæ alia experimenta cum subjectis violenta morte oppressis, cum bufonibus, muribus, lacertis, talpis, araneis &c. succedunt, & quæ peculiaris *Clauderii* est annotatio *dec. 2. an. 4. obs. 146.* de Aqua, qua mortuus lavatus, nimium appetitum Spiritus Vini sedante; qualis similis hujus Aquæ concursus ad admirandum

dum effectum, mihi innotuit, ad pertinacem nimirū mensium suppressionem, dum sub mensium fluxu inopinato assumpta fuerat. Talis mensium suppressio ex attactu solum demortuæ matris, in puella allegatur ab *Anhornio dec. 3. an. 1. obs. 37.* quippe quæ singula animam alterantia, illam ideam præjudiciose gratam perturbant, ut post hac anima hoc gratum in adversum immutet, & à prædictis imprimis excrescentiis ultro fovendis, conservandis, augendis, nutriendisque abstrahat atque cesset; qualium effectuum latius reminiscuntur, *Fienus, Marius, Dygbæus, Camerarius, Horstius, Bartholinus, Schenkus, Donatus, Hildanus* alique multi, de viribus imaginationis, & diversi celebres viri atque Membra A. N. C., quæ testimonia singula hic recensere, nimis diffusum esset. Interim familiarem illam rationem adversi annotare placet, dum varii homines feles in conclavi quodam latitantes perferre nequeunt, & ex eorundem præsentia in sudores anxios, angustias præcordiales, vertigines, lipothymias, palpitationes cordis, tremores &c. prolabuntur, cujus phænomeni nulla sane & certior & planior ratio reddi potest, quam quod hic occurrat, singularis aversio odoris transpirantium effluviolorum e felibus. Secundum quam maximam aversionem, tales vitales alterationes intercedunt, quæ cum illa pathetica aversione ratione finis simpliciter conveniunt: dum contra à veritate multum aberrare mihi videtur illa traditio & suppositio, quasi effectus tales singulares, essent simpliciter turbulenti, & ab effluviis animalium illorum excitarentur, formarentur & provocarentur; in qua assertione, ne minima rationalis connexio occurrere solet, tantò magis si famosi illi spiritus in coadjutorium vocantur. Quam admirandi vero effectus ex animi pathematibus concitati, in historia & experientia medica occurrant, attestantur non modo tot observationes in publicum emissæ, sed quotidiana etiam praxis Medica. Quantum usum vero habeat hæc notitia in Thera-

pia

pia facile illi effectus & eventus comprobant, quando in e-
 jusmodi affectibus & morali & medico auxilio animæ com-
 motæ dextre succurrit Therapevta, ut sane frustraneæ de-
 prehendantur reliquæ inventiones materiis corrigendis at-
 que expellendis intentæ, nisi animus antea compositus, mi-
 tigatus & in continentiore atque tranquilliore statum
 redactus & promotus fuerit. Quid valeant animi pathe-
 mata in exacerbandis morbis, quotidiana praxis edocet,
 vt in hoc documento aperte liqueat, quibus, quando, quan-
 tum, cur, motibus vitalibus hæc anima hanc alterationem
 inferat; de qua tamen singulari studio observandum, quod
 neutiquam confusa, irrationalis aut tumultuaria existat, sed,
 ut modo indicatum, huic pathemati, quam maxime con-
 formis; uti iracundia ad vehementiores commotiones, ex-
 pulsiones, prosecutiones, mœror, pudor, tristitia ad reten-
 tiones, abstractiones, cessationes, remotiones, terror, ad re-
 pentinas deiectiones & immoderatas oppositiones, desideri-
 um ad titubantes & alternantes commotiones & retractio-
 nes, indies satisfacere solent. Quid frequentius videre
 est, quam Epilepsias ex Terrore vehementi in sensibilibus
 subjectis, præprimis infantibus, ortas, qualem singulari indu-
 stria exponit *Ledelius dec. 2. an. 3. obs. 101. Garmannus dec. 3. an.*
9. & 10. obs. 56. 57. ita describit febrem ex imaginatione
Bartholinus dec. 1. an. 2. obs. 165. qualem febrem & quidem
 tertianam ex nudo terrore, ob digito inflictum vulnus, con-
 citatam, & quidem contumacissimam conspexi in Theolo-
 giæ candidato hic loci; mortem ex imaginatione *Schulzius*
ibid. obs. 137. mortem ex pudore *Ledelius dec. 2. an. 4. obs.*
157. hæmoptysin ex terrore *Polisus dec. 2. an. 4. obs. 45.* a-
 phoniam ex iracundia *Hannemannus dec. 2. an. 3. obs. 49.* pur-
 gationem ex imaginatione *Schmidius dec. 1. an. 4. & 5. obs.*
160. Paulinus ibid. an. 6. & 7. obs. 238. Cent. Ephem, obs. 129.
Meyerus. Sorbait dec. 1. an. 2. obs. 16. dolorem imaginarium.
Albrechti dec. 3. an. 9. & 10. obs. 4. de intempestivo pudore

ægrotis noxio, *D. D. Stablii Schediasma de motu tonico vitali*, in quo observare licet, quid pudor ad vomitus cruenti recursum contribuerit. Qualia plura testimonia allegare forte necesse non fuerit, cum nimis frequens sit talis observatio, qua animi pathematum influxus ad diversos effectus commonstrantur. Quemadmodum reliquam imaginationis potentiam exposuit *Greifselius dec. 1. an. 3. obs. 45.* Interea non aliter, quam miraculosa esse potest vis imaginationis in brutis, illis præprimis, qui ex brutis nil nisi machinulas, quæ ab objectis & effluviis moveri & dirigi debent, effingunt; quam assertionem vero a veritate maxime alienam esse, firmiter judico: qualem admirandum effectum describit observatione quadam *Cleyerus dec. 2. an. 1. obs. 16. Reifselius dec. 2. an. 2. obs. 119. Blegny Zodiac. Gall. Mens. Febr. obs. 8.* (quibus adjungere possum meam observationem, dum ante aliquot annos mihi Noribergæ in horto spectatissimi mercatoris, habitans vir plebejus, destillando spiritui ardenti operam navans, ovum ab aliqua gallinarum suarum depositum monstraverat, cui egregie impressa imo adstructa fuerat, figura patibuli, qui locus supplicii non procul ab horto illo positus fuerat) variique alii. unde non superficialiter aut simpliciter curiose absque ullo tamen præjudicio inquirere integrum erit, an bruta etiam gaudeant tali principio rationabili, ad imaginationes formandas capaci, quemadmodum imaginationem sine ratione concipere & supponere velle, æque esset, ac famosis illis spiritibus *γνώσις* ratione carentem assignare i. e. rationem sine ratione, lucem sine radiis luminosis & motu luminoso credere & arcessere. Ad tales effectus referri debent mutationes colorum in volatilibus imprimis Pavonibus candidis, per opposita objecta albicantia, femellis pavonum nunc cum masculo coeuntibus, concipientibus, ova formantibus imo deponentibus iisque incubantibus, oblata, candidum colorem nactis, quod experimentum rerum physicarum curiosi,

experti atque avidi in aliis volatilibus imitari commode sciunt, unde aves illas ab infulis canariis denominari solitas variis in locis ad imitationem hujus experimenti egregie colorare sciunt: qui color albicans in objectis oblati à parentibus perspicui, adverti, ab aliis distingui, & sub peculiari idea principio formanti pulli communicari & imprimi omnino debet: ubi irritum maximopere esset hæc talia forti vel casui sub eximiis hisce circumstantiis adscribere velle, vel materiis inverfis atque communicatis, vel spiritibus, qui tamen mercede nesciunt, quid album aut nigrum sit, nedum ideam de albo formare, aut communicare & transferre possunt, attribuire; ubi admirandi occasio sequentibus circumstantiis subministratur. 1) Quod animalibus brutinis inditum etiam sit principium rationale, quod 2) Cum ita dictis Animi pathematibus per frequenter agile & activum est, quo loco certe rejicienda est cruda illa *Cartesii* Philosophia de hoc negotio, quæ ita in epistolis miscellaneis judicat, videtur bruta habere & exercere tales actiones etiam patheticas, ex quibus colligere liceret, brutis inexistere ens rationale, sed iram quam bruta exercerent, non esse iram, attamen iræ analogam, odium non esse verum odium seu invidiam, gaudium non esse verum gaudium, sed gaudio conformem actionem, & quæ plures occurrunt otiosæ atque lepidæ tales fabulæ. 3) Hoc brutorum principium rationabile, distinguit objecta, eorundemque crassas qualitates. 4) Has retinet in memoria & phantasia. 5) Easdem ultro communicat, non per corporeum aliquod commercium, quia ne fingi quidem potest propagatio idearum per corpora & mediante corporeo intermedio, sed per subtilissimum rationis simplicis actum, quo cum unum principium rationale in alterum movere & operari potest & solet. 6) Quod alterum principium perinde simplici quodam rationis actu ideas tales assumat, conservet, illarum reminiscatur & 7) ad easdem tanquam ad Prototypum actum structionis & conformationis instruat. Quemadmodum 8) tales figurarum delineationes

in ovis gallinaceis, aut colorum variationes ad oblata objecta citra rationis usum, numquam fieri aut succedere possunt, ut pote qui actus stant sub directorio & iudicii & discretionis. Et quales non admirandi effectus in gravidis ex animi pathematibus & imaginatione firmiori indies proveniunt, quos cum *B. Sturmio* fortuitos appellare, aut ex feminiis in atmosphæra fluctuantibus & oberrantibus derivare merito vereor, quales effectus multiplices, ut in Misc. A. N. C. ita passim alicubi commendati prostant, ex quibus singularem, qui mihi inter alios constat, annotare placet: novi matronam generosam non procul ab Hala nostra, quæ junior aliquando cum marito suo generoso e fenestra sui domicilii adspexit mane famularum officia, brutis, in nobilium aula sustentari solitis, infervientia; inter alia vero observavit hæc Matrona cum summo gaudio & ridicula admiratione cohortem anatum emissorum, qui cum multo strepitu atque clamore cum rostris suis colludebant, hunc rostrorum motum hocque certamen non modo cum extraordinario & excessivo gaudio advertit, sed & per multiplices dies illius memor facta; concepit eo tempore hæc nobilis femina, & post trium mensium decursum, exclusit frustum carnosum, cum novem rostris anatinis præditum, quæ rostra repetito movebantur, aperiebantur, claudebanturque: unde quæstio moveri non immerito potest. 1) Unde hoc concrementum? 2) Unde hoc frustum proxime prægressæ lepidæ ideæ de rostris anatinis formatae, conforme redditum? 3) Unde illi motus in illis rostris, in frusto tali, omnem nude mechanicam rationem deludente? &c. ubi iterum à liberali illa fascinationis accusatione abstinendum esse censeo, in explicandis ejusmodi effectibus, qui tamen animæ petulantis & aberrantis viribus penitus innituntur: hinc mirari quisquam posset, si asseverare audeam, animam humanam generare etiam corpora brutina, eademque vivificare cum divisa sua anima, qui non alii quam erronei effectus ejusdem animæ, ab humanitate de-

fle.

flectentis, existunt. Ita partum murium aut glirium non semper incantationibus temere assignare licebit, cum anima humana, similem animalium genesin imitari valeat, quod ipsum affirmant *Paracelsus, Albertus M. & Thomas Erastus de Medicina nova Paracelsi*. Non placet excurrere in inquisitionem admirandorum effectuum, principii illius, quod alias animam vegetativam nuncupare solent; sed documenti loco allego herbam orchidis antropophoræ maris & feminæ, nec non orchidis cum aviculis, quæ sistitur *dec. 1. an. 2. obs. 41.* Admiratione dignus porro est ille animæ effectus, quo ad imaginationem prægressam firmiter formatam, insolitum quid primo generatur, deinde vero peculiaribus quibusdam motibus ultro urgetur & actuatur, qualem lectu dignam historiam *Wagnerus dec. 2. an. 10. obs. 109. de vi imaginationis ex intuitu incisionis Tumoris*, commendat; quæ enim contingit, ut subjecta sensibilia & ad animi pathemata præcipitia in aliis individuis multas verrucas cum aversione maxima & horrore observantia, similem verrucarum excrescentiam in suo corpore experiantur? novi juvenem delicatum, qui ad conspectum cum terrore conjunctum, servi, horrido erysipelate affecti, simile tale Erysipelas expertus est. Cur subjecta palpitationibus cordis exposita, quando firmiter harum palpitationum reminiscuntur, easdem frequentius experiuntur, eo ipso etiam tempore, quo de eadem cogitant, illam subeunt: quo pertinet prædictus casus *Polisii de hæmoptysi ex terrore*. Quid valeant animi Pathemata ad concipiendos & formandos morbos, attestantur imprimis contagiosi affectus, unde videre & exaudire est, quid terror aut animi dejectio contribuat ad subeundam pestem; dum sanæ rationi congruum quam maxime existit, quod ejusmodi subjecta miasma pestilentiale in corpore suo continuerint, quod vero sub tranquilliori animi statu consuetis semper motibus eliminarunt, quam primum vero animus per terrorem commovetur, tunc peste laborare actu inchoant, ubi com-

mota

mota nunc anima febrili vigore expellendo huic inquinamento omnem operam impendit: hinc semel febrili illo motu expulsa materia pestilentiali, postea pestem, quamdiu illa adhuc durat, sub peste decumbentibus atque demortuis subjectis conversantia talia subjecta, illo tempore non facile ultro experiuntur, ubi tamen negari minime potest, quod miasma illud subtile denuo eosdem homines inuaserit, quia vero eorundem animus nunc firmior redditus est, atque confidentia & continentia plenior, ob feliciter superatam pestem, ita ob defectum angoris atque terroris, denuo pestem non incidunt, si vero iterato talia animi pathemata foverent, æque iterum in pestem eosdem prolabi posse, firmiter credo, uti juvenis ille bis variolis correptus, cujus mentionem facit *Dobrzensky dec. 2. an. 4. obs. 29.* Peculiarem talem morbum ex nimio desiderio emergentem, sistit fere ridicula illa *Nostalgia*, quam jam abunde descriperunt *Zwingerus, Harderus, Valentini*, & quam cum *Scheuchzero*, Viro alias erudito & curioso, climati Helvetiæ imputare, merito abstineo 1) Quia pathemata quæ ægrotantes experiuntur, nullam connexionem cum causis materialibus, verum rectius cum moralibus servant. 2) Quia aliæ nationes hoc affectu correptæ deprehensæ fuerunt, ut Belgæ, qualem casum etiam Gieslæ observatum allegat *Valentini Infallib. Praxi.* 3) Quia aer densior & magis elasticus nondum absolvit & exhaurit rationem effectuum in *Nostalgia* præcipue occurrentium, qui præprimis ipsum animum concernunt. 4) Quia hic affectus per morales causas & occasiones concitari potest, vix vero per physicas, ad quas priores pertinet, ut ejusmodi homines memores reddantur suæ patriæ, ut inter exteros severe & serviliter tractentur, magis illudantur, & ad tristitiam commoveantur. 5) Quod hic affectus maximopere per moralia curari possit. 6) Quod ægrotantes tales in exteris locis pristinae integritati restituantur, quando horum parentes ad loca talia migrant, & ægros

ægros suos filiolos visitant. 7) Quod in confiniis Helvetiæ similis subtilior aer reperitur, qui ad sanitatem incolarum Helvetiæ desideratur, in quibus vero locis non minus Nostalgia corripuntur. 8) Qui melodiæ illæ sive cantus armenta pascentium rusticorū, quem dicunt dens^{er} *Rub. Meyen* citra præviam aeris densioris efficaciam, nostalgiam provocare possit, ob id 9) lubens *Hardevo* applaudo, circa usum Nitri in Nostalgia, quod alias ad mitigandos motus, ab animi pathematibus provenientes, efficax & utile existit. Unde rectius hunc affectum malæ educationi, animi mollitiei, & desiderii illis moralibus anxiiis adscribere soleo, quo etiam quantisper *Zwingerus in Dissertat. Medicis Selectioribus* consentire videtur. In quantum campum vero non descendere possim, si miraculosos illos animæ aberrantis effectus in structura nævorum maternorum pro merito indicare velim, qui an animæ adscribi debeant, nullus dubito, cum eosdem antecedit firma quædam & cum tenaci pathetica commotione impressa imaginatio objecti cujusdam externi, secundum quod tam accurate & exquisite hi effectus ordinantur, in quibus tam anima matris, quam foetus activa deprehenditur: illa in excipienda, contumaciter retinenda, & communicanda tali idea, hæc in assumenda hac idea ab anima matris, & ad illam figuram illius ideæ in apto loco adstruenda & delineanda, quem moralem sensum tanto magis confirmat hæc consideratio, quod ad objectum oblatum, aut interlapsum percipiendum & retinendum anima rationalis absolute requiratur (hæsitant enim declamationes & figmenta Cartesii, quæ intellectum passivū agnoscunt!) quod objectorum ideæ figurativæ non per aliud nisi rationabile principium propagari & ultro aliorum transferri queant, quod hæc idearum communicatio ab anima in animam sanæ rationi conformior sit, quam si ex anima in materiam agente derivaretur: quod inter animam matris & foetus necessarium adsit commercium atque vinculum, dum in uno ergastulo existunt, nimirum in corpore matris, & circa unum actum oc-

cupantur, videlicet circa actum generationis, dum anima foetus corpus struit, anima matris vero locum aptum ad struendum ministrat & concedit, & materiam ad actum formationis convenientem suppeditat &c. &c. unde certe sanæ rationi congruum magis existit, quod ejusmodi effectus morali magis activitate, quam physica potestate & necessitate innitantur. Cui meæ propositioni, non modo firmitas connexionis applaudit, sed & ipsa experientia assentit, dum hiæ nævis neque certius neque melius subvenitur, nisi per ejusmodi auxilia, quæ motus animæ attinent & Sympathetica vocantur, quemadmodum contra, alia tentamina & pharmaceutica & chirurgica non modo multis æquivocationibus & difficultatibus, sed & periculis fonticis exposita sunt. Qua tamen occasione nemo, ut spero, desiderabit, ne dum maturius expectabit, explicationem, quo modo, qua methodo, quibus motuum gradibus, qua inventionem, quo ordine hæc ideæ propagentur ab anima in animam, sufficit ut τὸ ὄτι ex innumeris exemplis observemus, quamvis τὸ διότι adhuc lateat; allaborabo vero tunc, si fieri potest, ut hujusmodi fiendi rationem reddere possim, quam vero minime maturius promitto, quam si mihi physicus distincte & rationabiliter explicaverit, quo modo motus e corpore in corpus transeat, quomodo motus cum materia cohæreat, quo modo anima in communibus patheticis commotionibus ideas suas transferat & ad easdem instruat & ordinet motus vitales, ubi tamen iterum humaniter deprecor, obscuram illam communicationem motuum per spiritus, aut per contactum, qui contactus minime exhaurit τὸ διότι sed magis implicat & obscurat; imo adhuc quærendi occasio iusta suppetit, quæ fiat, ut, quando duo corpora se contingunt, motus ab uno corpore in aliud transcendat, & non in primo corpore maneat? quæ fiat, ut sub hoc contactu motus transeat? quomodo progrediatur in alterum corpus? quorsum motus abeat è corpore visibili commoto, si desi-

nit successive moveri? an motus maneat materiæ innexus & tunc acquiescere inchoet? quæ communis illa fabula est, quæ de motu concreato obtrudi solet, an vero & quomodo in alia corpora, præcipue invisibilia, subtilia, sensum visus fallentia, procedat? hæc si resoluta fuerint, quæ tamen irresolubilia sunt, tunc resolvam etiam meum *dióti*. Interim facile liquet hujus argumentationis iniquitas, infirmitas atque falsitas, cujus rei modum fiendi non intelligo, illius rei modus essendi verus non est, sive cujus rei rationem, quomodo fiat, non intelligo, illa res vera non est, qui ex defectu cognitionis modi fiendi, ipsum factum negant: quo loco facile intercidit instantia, atqui ignis modus fiendi non percipitur, ergo nullus est ignis, aut, ergo Ignis non urit, ardet, flammat, atqui modus connexionis motus cum materia non patet, ergo nulla materia movetur, atqui modus ille non liquet, qui tam accurate motus ordinare possimus in pedibus, in conscendis gradibus scalarum, in transcendenda fossa, ad distantiam aliquam visibilem extensa, qui tantos & tot motus manibus & brachiis immittamus, quot ad transmittendum lapidem ad certam & præfixam metam obtinendam sufficiunt, ergo hæc singula non fiunt sub justa motus directione, distributione & dispensatione. Transcendit vero hoc *dióti* sphaeram, potestatem & capacitatem cogitationis humanæ, unde in observandis effectibus, & annotanda illa circumstantia, a qua illi effectus dependent, solliciti, accurati & contenti esse debemus: Consultius enim est ad *Senecæ* monitum, sincera fide confiteri, quod talia non intelligamus, quam ut aliena & falsa obtrudantur: Hæc vero an Praxeos Medicæ utilitatem, commoditatem accrementum & certitudinem promoveant, facile indicari potest, ne mere speculativa & physica reputentur. In omnibus enim morbis tam acutis, quam chronicis, tum benignis, tum etiam malignis principaliori activitate concurrat hæc

anima, partim sensibilitate sua, partim majori æstimatione rerum corpori inimicarum, partim motuum justa directione & promotione ad salutarem finem, partim horum motuum alteratione ob aliam intercedentem ideam: Unde in Praxi ipsa majorem considerationem habere debemus hujus activitatis, & observare, an non hæc natura sive anima hominis in vitalibus activa, ordinem justum transgrediatur? an non nimia sensibilitate in corpore activa sit? an non plus aut minus objecta & subjecta æstimet, quam necesse est? an non peculiaria pathemata animi intercedant, ob quæ justa methodus in autocratico actu alteratur? an non in motibus magis, quam materiis culpa lateat? an natura agat illa *ἰσότης* ad quæ provocat *Hippocrates*. Propterea maxime interest, ut ad monitum *Valleriolæ Lib. 1. obs. 1. constantes adversus morbos eamus, naturæque motus solerti indagatione perspiciamus, remediisque parati, diritati morborum arte nitamur*: & hæc tanto magis nosse expedit, quo veriori emphasi *Hippocrates Lib. 6. Epidem. professus est, quod hominum verissima medicatrix sit natura*. Quæ etiam causa est, cur multoties spes medicum frustretur, si nudis materialibus, physicis & mechanicis causis inhærendi, libido continuat & premit: Unde recte *Valleriola effatur. Lib. 1. obs. 4. ea causa est, cur sæpe deserti à Medicis convalescant; quod arcani naturæ motus, quibus ipsa in servando fovendoque corpore utitur, & à mortis injuria vindicando, non satis nobis perspecti sint*. Quin ipse *Galenus* & cum illo citatus *Valleriola* confitentur: ille in *Libr. an animal sit, quod in utero continetur*. Hic *Lib. 1. obs. 4. quod ineffabilis atque recondita sit, prorsusque nostra cognitione profundior naturæ occulte operantis, ratio, qualis est ratio τῆς ἰσότης*. Hinc ingens sane hic est usus in arte Medica, ut sciamus, an animæ nimium operanti, parcius & negligentius moventi, tergiversanter titubanter aut plane erroneè agenti succurrere debeamus; quin expertus hæc dico, quam

quam eximium usum habeat doctrina Moralis in Medicina practica: quo etiam illi inclinare videntur, qui morbis per carmina & cantus subvenire cogitant, modo non latius hæc adminicula extendant, quam limites sanæ rationis concedunt: Ita enim *Macrobius, Somnio Scipion. Lib. 2.* loquitur: *habitus animæ cantibus gubernatur ut & ad bellum progressui & item receptui canatur cantu, & excitante & rursus sedante virtutem: dat somnos, adimitque, nec non curas & immittit & retrahit: iram suggerit, Clementiam suadet, corporum quoque morbis medetur. Conf. Werslosnigg, dec. 3. an. 9. & 10. obs. 27.* de cura febris malignæ per Musicam. Quantum vero valeant nimix sensibilitatis moderationes, alienæ æstimationis emendationes, aberrationum correctiones, immoderatarum & iracundarum actionum mitigationes, lenitiones, confopitiones, præprimis aptæ & convenientes, simulationum in vitali etiam negotio occurrentium remotiones, dubiorum excussiones, metuum discussiones, negligentiorum motuum prosecutionum excitationes &c. quotidiana experientia assatim comprobat, ut hic latius de hac re differere neque locus neque necessitas postulet. Ob id vero artis necessitas deneganda minime est, quam nuper accurate commonstravit peculiari dissertatione *D. D. Stablius* cui negotio etiam quantisper inculcando, directe fuit annexa mea *Epistola de Naturæ & Artis commercio therapeutico.* Sed missis hisce cum multa de hac re & jucunda & utilia adjungenda essent, placet tamen ad hoc negotium nimirum ad confirmationem asserti mei, quod doctrina moralis Medico maximopere necessaria sit, observationem pertinentem, notatu dignam jungere: novi virum hypochondriaco Splenetico, qui cum multis sui mali cruciatibus, diu jam defatigatus fuit: hic abhorrescebat omne colloquium hominum, imo expavescebat etiam ad spectum hominum, & solus solitudinem amans, quærens, urgens & affectans, profundis meditationibus & phantasias indulgebat;

multa sane medicamina adhibuit, ast frustra; tandem invitus etiam à proximis consanguineis ad consortium & convivium amicorum plurium protractus fuit, quamvis cum multa anxietate, metu & horrore resistens, per initia vero sui accessus, semper cum profundis suspiriis aspiciebat portam illius hypocaufti, in quo convenere, tacite voluptatem aufugiendi & abeundi indicans, sed quamprimum discursibus & amicis colloquiis immerfus fuerat, excussit omnem anxietatem, pavorem, metum, oblitus omnis solitudinis, confabulabatur cum maximo gaudio cum suis amicis, intererat huic convivio edendo, potando, sermones miscendo cum voluptate & ultimus tunc fuit, qui discessit, exclamans: ô quam mutatus ab illo: qui etiam mutatus & liberatus ad longinquum tempus à pristinis passionis suæ cruciatibus, & phantasiis aliisque animi perturbationibus: & quod in hoc viro pharmacia efficere non potuit, effecit subsidium morale: Cujus rei ex mea aliorumque observatione plura documenta allegare possem, si Tua VIR MAGNIFICE patientia abuti non videri gestiam. Tam admirandi vero sunt animæ humanæ effectus. Admirandus præterea animæ hujus effectus est, quod in corpore suo subjecto superflua nonnunquam struat, conservet, foveat, retineatque, ut plures digitos, quales superfluos ita temere amputare, periculosissimum tentamen est ob incoercibilem veluti supervenientem hæmorrhagiam aliaque accidentia suspecta; tales superfluos digitos, (uti multi quidem alioquin viderunt) descripsit peculiari historia *Prückelius dec. 1. an. 9. & 10. obs. 8. Wincklerus dec. 1. an. 6. & 7. obs. 118. A. N. C. Cent. ad obs. 113. append.* ad superfluos tales effectus pertinet cor numerosum, quemadmodum observavit cor duplex in monstro bicipiti *Raygerus dec. 1. an. 1. obs. 7. tres mammas in muliere Bartholinus dec. 1. an. 2. obs. 72. Duplicem dentium ordinem Lansonius dec. 3. an. 7. & 8. obs. 101. De triplici dentium ordine in Ludov. XIII. Rege Galliarum Bartholin. Anat. reform. conf. diss.*

diff. anatom. *Lanzonii de dentibus*, vidi ipse talem dentium duplicaturam in puella civis hujus loci, diu gestatam in qua tamen anterior ordo successive excidit. In anserè tria corda deprehendit *Menzelius dec. 1. an. 9. & 10. obs. 103.* Pluralitatem pedum præcipue in brutis varii curiosi viri annotarunt, ut *Polifius dec. 2. an. 4. obs. 41. de quadrupede anserè.* *Hoffmannus* de pullo gallinaceo quadrupede *dec. 3. an. 1. obs. 142.* Qualia exempla plura allegat *Licetus de Monstr. Lib. 1. c. 4.* ita similiter pullum talem vidi cum tribus pedibus incedentem in œconomia mercatoris cujusdam Noribergæ ad ædes Div. Laur. sacras habitantis, quamvis mox petulantes famulæ tertium pedem, ut superfluum & insolitum dijudicaverint atque amputaverint. Similiter vero in aliis partibus anima hæc admirando effectu æque luxuriari & superfluum quid struere solet, ac contra aliquid diminuere. Ubi proinde admiratione digna est illa observatio animæ corpus inhabitantis citra præsentiam cerebri, qualis historia commendatur à *Clerc in Bibliotheca Anatomica, à Rolfinckio, Zvingero, dec. 2. an. 10. obs. 201. Wepfero Dec. 1. an. 3. observ. 129. Hoffmanno dec. 1. an. 2. obs. 36. Romberg. dec. 3. an. 9. & 10. obs. 100.* quales partus vero in utero & extra illum vita præditi fuere; ex quibus observationibus quærere liceret, ubi spiritus? unde motus? in quo alio loco resedit anima? quamvis facilis hic reddi possit responsio, quod anima in corde extiterit; sed quis hujus responsi certitudinem confirmaverit. Quo loco incidenter reminiscor illius hypotheseos, qua asseritur, quod intellectus, ingenium, memoria, phantasia, judicium, in cerebro formentur & exercentur, voluntas vero in corde: ubi iterum hoc assertum quæstione indiget, cur sola voluntas, quæ perinde actio moralis est; Si voluntas fluit ex æstimatione & dijudicatione objectorum, hæc vero in cerebro celebrantur, cur voluntas in alia parte perficitur, quæ necessitas urget, ut anima è cerebro in cor desulter, & hic voluntatem exercent: nihil enim disponit cor ad velle specifica quadam sui capacitate, unde

rectius inferre licebit, quod operatio voluntatis similiter in cerebro succedat, ut actio moralis, quæ essentialiter, veluti motus, à reliquis actionibus moralibus nihil differt, quæ ultimæ singulæ in cerebro perficiuntur. Quidni etiam admirationem mereatur ratio & observatio consuetudinis in moralibus æque ac vitalibus officiis, quæ sub multis confusionibus hodie imprimis corporeis & physicis qualitatibus, & automaticis machinis adscribi temere solet, cum tamen consuetudo non alius nisi animæ actus & operatio existat, quæ innititur illa promptitudine in movendo efficaci atque resoluta agilitate, per acquisitam volubilitatem in edendo quodam motu expeditam; ubi illud paradoxon sed simul endoxon in moralibus annotandum est, quod anima multoties actum quendam moralem, & quidem frequenter exerceat, attamen persæpe nesciat quod eundem commiserit, cum huic non attenda fuerit: uti v.g. varii homines advesiunt certis voculis exprimendis, quas ita prodige aliis etiam fermocinationibus intermiscent præter omnem necessitatem & connexionem, ob quam superfluum ejusdem vocis allegationem, hæc anima in illa intendenda & attendenda plane oblita & immemor evadit, hanc ipsam vero consuetudinem sedulo committit: & hoc etiam succedit, in illis, qui maledictionibus horridis effundendis advesfacti fuere, easdemque colloquiis honestis, quæ alias ab omni tali maledictione vacua esse debent, intermiscunt, ob id si monentur, ut abstineant, nescii plane an tale quicquam commiserint sub propria admiratione excipiunt: *Hab ich denn gesucht? ich weiß nicht/ daß ich gesucht habe?* &c. ut vero innumeræ tales malæ operationes consuetudinales in moralibus succedunt, ita haud infrequentes in vitali negotio occurrunt, quod ex antiquioribus *Galenus* probe observavit, *D. D. Stahlus* vero peculiari dissertatione exposuit: quem ipsum actum etiam animæ adscribo neque *Voetio metelem*: assentio, qui consuetudinem faciliiori Spirituum motui per nervos assignat, ubi omni jure

quæ

quærere licet, cur ad talem specificam actionem Spiritus facilius concurrant, & non ad singulas reliquas? quæ intercedat connexio inter motum talem Spirituum & historiam consuetudinis, quæ talis est: provenit consuetudo ex aliqua actione ut grata & accepta vel vere tali vel efficta & præjudicata aliquoties exercita, in qua expedienda nanciscitur anima volubilitatem, excussa omni difficultate & impedimento, hinc, quia actus tales tam prompte succedunt, iisdem frequentius exercendis indulget animus, ex hac frequenti exercitatione & repetitione propullulat consuetudo; unde iterum urget licet connexionem inter motum Spirituum & has circumstantias: quin ultro inquirendum, quomodo fiat, ut hæc consuetudines per remedia motum Spirituum propriè refrænantia & inhibentia, emendari & curari non facile queant? qui non in pluribus subjectis similes & congeneres tales specificæ actiones contingant ex simili veloci Spirituum motu? &c. Coincidit vero hæc consuetudinis ratio in erroneam animam, quæ ex frequentius exercitis actibus statim in consuetudinem delabitur, consentit & degenerat; unde ejusmodi operationes citra necessitatem, imo citra peculiarem quandam utilitatem perficit. Quin miraculosum est, quod tales consuetudines per hæreditatem in natales propagentur, ubi ridiculum certe esset, ad nauseam supponere velle, quasi spiritus tales veloces propagentur, qui dehinc in prole illum & non alium actum producerent; cum meliori jure & ratione, hæc connexio communicationi ideæ simplicissimæ de tali consuetudine formatae, animæ immiffæ, adscribi possit, imo debeat, ut hic iterum magis moralis quam physica ratio observanda veniat. Idem sentiendum est de ipsa hæreditaria dispositione, qua non modo mores specifici, sed & ideæ de motibus vitalibus specificis communicantur & propagantur; quemadmodum vero hæc dispositiones formaliter motibus innuntur, ita alienum esset, specificè corruptarum & immutarum materialium qualitatibus phænomena talia attribuere

ere velle; tanto magis vero cum ex physica doctrina deduci nunquam queat, qui filius hæmoptycus evadat aut phtificus uti parens? quî podagricus evadat ut pater? quî hæmorrhoidali fluxui subjiciatur, ut avus? quî filiæ difficili Mensium eruptione laborent, ut Mater? forte hic communicatur in actu generationis materia talis specifica, huc contribuens, quæ non maturius operatur, quam hoc tempore, aut post aliquot annos, neque ferius? videtur mihi hic subesse occultam forte qualitatem. Consentes mecum **VIR PRUDENTISSIME**, quod talia figmenta à sana connexionione & ratione maximopere aberrent. Habeo hujus rei notoriam observationem. Ad Altenburgum degit Generosa quædam nobilis Matrona cum familia, tribus nimirum Generosis filiabus. Generosa mater experta fuerat primam mensium eruptionem, non modo valde difficulter, sed & cum maximis spasticis commotionibus, & convulsivis semi epilepticis tormentis: quælibet generosa, harum filiolarum, sub prima Mensium perruptione & circa illam, similem tragœdiam subiit, una cataleptica fuit, alteræ binæ cum emprostotono torquebantur: adhibita fuere multa Spiritibus & Archæo compescendis, sopiendis, refrænandis, alioquin roborandis, modo demulcendis, dicata remedia, sed frustra varia sanguinem corrigentia, uterina, Castorina, nervos roborantia, sed sine ullo usu; in consilium ergo ductus, perspecta historia, consilia & auxilia suppeditavi ad hanc hæreditariam dispositionem & promotionem convenientem fluxus menstrui directa; quo loco præcipue pillulas balsamicas D. D. Stahlî laudare debeo, quæ benedicente gratia divina plurimum totius curæ absolvere: quo fluxu tandem expedito atque dextre promotò omnia hæc truculenta pathemata penitus cessarunt. Possẽm hoc loco, si tempus concederet, miraculosam animæ operationem, in affectibus periodicis describere, utpote qui affectus justo & exquisito tempore imò etiam die aut plane eadem hora recur-

currunt, ut hæmoptyses, diarrhœæ, hæmorrhagiæ, sudores, cephalagiæ, coryzæ, vomitiones, annuæ, menstruæ, æquinoctiales. Talis *Citalepsis dec. 2. an. 1. obs. 1. a Febrio. Syncope ib. obs. 10. a Wedelio. diabetes Act. Med. Haffniens. vol. 1. obs. 5. a Bartholino &c. allegatur; conferatur dec. 2. an. 3. obs. 40. Lentilii.* Ex quibus liquet quam subtilem rationem & observationem temporis habeat hæc anima, qualem distributionem & discretionem temporis nudo corpori assignare velle *ἄλογον* esset; quin nimis enormiter & crasse excogitatum esset suppositum, quasi hic talis singularis automaticus motus esset, qui intra annum, mensem &c. transcurrat; olet enim hæc deductio petitionem principii inter Mechanicos, & infert suppositionem sine demonstratione solida & connectente: neque exhaurient nervum hujus phænomeni Sylvestres illi Spiritus atque Fauni, qui nimis fatui sunt ad distinguenda tempora: ast cum temporis essentia motibus innitatur, ita observatio temporis, & ordinatio peculiarium motuum ad exquisita tempora & periodos, nulli alteri adscribi potest principio, quam quod intelligit quid sit tempus, quid sit in tempore movere, ad tempus movere, ex tempore movere, quod seligere & discernere potest tempora. &c. Tandem neque variantibus aeris tempestatibus aut ætheri hæc contingentia cum sana ratione adscribi possunt, cum inter auram & hunc effectum nulla reperiatur connexio, de qua re egi etiam in additam. *ad observ. Hallens. de Mechanismi usu & abusu in corporibus animatis:* do hujus rei exemplum practicum: Sæpe evenit, ut subjecta venæ sectionibus adsueta, recurren- te tempore illo, quo vena iterum aperienda esset, non modo in illo brachio aut pede dolorem gravativum experiantur; sed & illius specificæ venæ intumescentiam. Quid aer & æther contribuat ad hujus brachii aut pedis dolorificam sensationem, ad hujus venæ inflationem, & non ad totius corporis aut aliarum venarum alterationem? quid tempestas contribuat ad hujus venæ spontaneam perruptionem

nem in illo loco in quo ante annum incisio celebrata fuit? & sic in aliis pluribus exemplis judicandum erit. Quid vero de Sympathia & antipathia censendum erit: nonne hi exquisitè admirandi sunt effectus animæ, in quibus imprimis anima agilis & occupata est, de quibus egregie differuerunt quoad multas circumstantias, *Dygbæus de immortalitate animæ*, *Bartholin. Act. Med. Hassn.* *Oldenburgius in Act. Anglic. Collectores Ephemeridum Gallicarum*, *Henricus ab Heer*, *Hermannus*, *Grube*, *Lipsius*, aliique multi, & quales egregias historias Sympathiæ & antipathiæ reperire licet in *A. N. C.* passim, ex quibus allegare placet *Bierlingii obs.* 207. dec. 1. an. 2. & *Lanzonii obs.* 103. dec. 3. an. 7. & 8. conf. *Zwingerus dissert. med. select.* & *Libavius de Antipathia*: nec non curiosa illa observatio *Oldenburgii. Act. Philos. Angl. Mens. Novembr. An. 1667.* de antipathia cum melle in unguento femoris vulnere applicato. Horum actuum vero ratio fundatur in subtili & firma imaginatione animæ rationalis, quæ propterea in illa specie sensationis activior existit, quæ ad hanc imaginationem recolendam concurrit, ut in antipathia ad rosam, feles, castoreum, &c. olfactus; in antipathia ad colores certos, mures, ranas, araneas, visus; ad Musicam, auditus; ad diversa alimenta & potulenta, gustus, acutior, subtilior, intensior, sensibilibior esse solet. Succedit vero etiam talis Sympathia & antipathia per meram fortem imaginationem videlicet in cura transplantatoria, Sympathetica, Magnetica, amuletica &c. nihil enim aut valde parum hæc curæ proficiunt, in subjectis minus sensibilibus atque minus delicatis; Quæcunque vero in actu imaginationis activiora, fortiora, delicatiora & tenaciora existunt, in illis hæc cura majori cum fructu exercetur. Quod argumentum est, pro roboranda hac assertionem, quod hi animæ sint effectus, minime vero nudi corporis. Hæsitant enim illæ explicationes, quasi effluvia hæc pathemata distinguant & absolvant, aut effective forment, cum tamen, si quæ intercidunt effluvia, eadem accurate percipi, distingui & ad eadem motus tali ordine & valore,

ut ita dicam, qualificari debeant: cadunt illæ opinionēs de pulvere Sympathetico, quasi effluvia orbem pererrantia illud individuum ex millenis aliis ingrediantur, & tales effectus exserant: subjectæ adhuc sunt æquivocationibus illæ deductiones, quasi Spiritus, Genii intermedii, aut ne-
 scias quæ alia occulta & obscura agentia & potestates angelicæ & magneticæ aut mumiales hunc effectum absolvant: Cum contra abunde constet, quantam vim habeat imaginatio, quod anima rationalis imaginationes formet, concipiat, foveat, augeat, fervet: quod hæc anima alias etiam subtili & crassis nostris cogitationibus & conceptibus incomprehensibili modo in distantias operetur, qualem Sympathiam in distans descripsit *Myrrhen*, dec. 3. an. 9. & 10. obs. 219. quarum operationum species facti non latent, sed quam maxime patet, quod in hisce actibus anima imprimis laboriosa, anxia, inquieta, agilis, & solers existat: unde collatis singulis circumstantiis fatius fuerit, hos animæ admirandos effectus annotare, quam in alias confusas speculationes, titubationes, implicationes, & præjudicationes immergi. Exserunt sese tales Sympathiæ, & antipathiæ, inter maritum & conjugem, inter fratres, amicos, Parentes, & natales variis effectibus; hujusmodi exemplar sistit sese, in marito, pro uxore gravida Pica laborante, quam historiam proposuit *Reiselius* dec. 1. anno 2. obs. 216. talis Sympathia inter patrem & foetum cognita mihi est, & curiosa: novi virum honestum literatum, qui aliquoties jam hoc in se expertus erat, quoties conjux ejus gravida, foetum per septem menses gestaverat, quod, octavo & nono mense, quo foetus in utero majus robur, partium firmitatem & confirmationem majorem nanciscitur, manifestè in sui corporis robore, firmitate, & pinguescentia decreverit, cum aliquali solitarum virium jactura, donec in lucem edito foetu intra paucos dies hic vir ad pristinum robur & firmitatem redierit: allegatur talis Sympathia gemellarum à *Claudero* dec. 2. ann. 70. bs. 175. & quæ etiam elegans est historia singularis inter

maritum & uxorem Sympathiæ, quam *Rommelius ib. obs.* 21. profert, conf. *dec. 2. an. 4. obs. 23. append. p. 200.* Sympathia inter maritum toties fluxum hæmorrhoidalem subeuntem, quoties conjux menses experiebatur, & *Bartholin. Cent. Anat. 5. hist. 79.* de marito pro uxore puerpera dolente & decumbente. Habet hæc Sympathia & antipathia fundamentum atque locum, in ratione fœcundi & sterilis matrimonii, quæ consideratio multoties negligitur, cum tamen fonticam & peculiarem attentionem mereatur, ubi tamen merito præcipienda & disuadenda erit, nimia illa curiositas, quæ sphæram humanæ cogitationis & potentiæ transcendit, qua iterum horum phænomenorum modus fiendi urgeri posset, nimirum quomodo anima in animam operetur, & quæ sit formalis ratio hujus compassionis. Latent enim adhuc post lapsum ejusmodi vires in anima, quæ intellectum ipsius animæ superant, quamvis eadem infrequentius activas se exserant, interim attestantur animam esse principium ejusmodi incorporeum, arcanis etiam methodis activum, quod jam veteres Philosophi & Medici & agnoverunt & observarunt, & uberiori observationi commendarunt. Et ita ratio curarum Sympatheticarum non alia æstimatione innititur, nisi subtili hac sensibilitate, perceptione, imaginatione, nonnunquam etiam credulitate, & superstitione, quarum circumstantiarum multo frequentiores & obversationes & connexiones, in ejusmodi curis occurrunt, quam materiæ, corpusculorum, particularum, effluviorum, spirituum &c. qualitates & potestates, unde hæc curæ Sympatheticæ, tam præsentaneè juvant, quia in animam operantur, cujus rei reminiscitur quantisper *Scharfius de curis sympatheticis, & magneticis*; admiratu digna vero est illa circumstantia, quod cura sympathetica vel dubie, vel plane non juvet, quando in eodem morbo opiata remedia præmissa fuerunt, cum quibus illa sensibilitas animæ graviter alterata & imminuta est: deinde notandum etiam est, quod hæc sym-

pa-

pathetica cura caute tractanda & gerenda fit, ne per illam nimium anima offendatur, ut nimis repente a præfenti morbo defiftat, fed in alios graves & periculofos delabatur: uti hæmorrhagias per pulverem fympatheticum cohibitas facile inflammationes, fpasmi, pertinaces congestiones &c. infequi folent. Quod etiam valet de deprecatione & imprecatione morborum, vom *versprechen der Kranckheit* / quale exemplar mihi conftat circa Eryfipelatis capitis deprecationem, quam in femella excepit cum graviffimis cruciatibus hystERICA passio; qualem formulam arthritidem deprecandi propofuit *Zittmannus Medicin. Forens. Cent. 4. cas. 32.* fimilis ratio valet in transplantationibus, dum illico fympathia & antipathia, inter animam hominis, & vegetabilium occurrit. Quo loco omni jure declinanda erit, debilis illa objectio, quasi anima fit *ἀπάρης*, quia spiritus incorporeus est, in qua objectione nimis crassus conceptus, de compassione animæ hæret, quasi nimirum nihil pati possit, quod non rudem contactum physicum subeat, cum per motus, in motibus, cum motibus indies patibilis existat anima; & cum ipse sensus fit motus, quicquid propterea sensus afficit, ipsam etiam animam afficit quamvis quidem non essentiam illius, attamen activitatem & energiam, & synergiam. Et quamquam in tali fympathia, quædam inscia plane anima contingant, attamen hæc fumenda de nimis crassa ignorantia, cum tamen occurrant ejusmodi subtiles scientiæ, animæ inhærentes, ut miculæ atque reliquiæ primæ integritatis, sanctitatis & perfectionis, de qua re egi in Parodoxo illo scripto, *de anima hominum plantarum, & brutorum*, cujus rei testimonium præbere potest admirandus ille animæ humanæ effectus, in operatione ad distantias observatus, dum anima subtilem quendam sensum de rebus in diffitis locis occurrentibus, experitur: quales historias in dubium plane vocare circumstantiæ intercurrentes minime permittunt: quando v.g. filius justo tempore justaque hora in maximum angorem delabatur, in lacrymarum copiosissimas profusiones usque, ob causam quam ipse

met recensere nescit, quo tempore in diffitis locis parens vel mater, vel violenta, vel alia morte perit: quando amicus quidam, de intimo quodam amico, maxime sollicitus evadit, quin anxius, tristis, trepidus, desperabundus, qui posterior amicus in diffitis locis maximo & periculosissimo morbo oppressus est, in quo ille perit: quando mater de filio in exteris locis degente, insolito quodam modo atque tempore maximas ærumnas fovet, de cujus morte vel occisione illo tempore facta, per terrificum nuncium certioratur: quando in insomniis anima vel tristem vel jucundum eventum prævidet, qui in futurum etiam tali ratione contingit, vel quando in insomnio anima in certo quodam loco, deperditum quoddam, vel margaritam, vel nummum argenteum, vel aliud quicquam quasi observat, & altero die illud ipsum illico reperit, & quales plures consideratu dignæ historiæ & observationes mihi ipsi constant: quo loco placet allegare elegantem *Verulamii textum in tr. augment. scient. Anima in se reducta atque collecta, nec in Corporis organa diffusa habet ex vi propriæ essentia suæ aliquam prænotationem rerum futurarum, illa vero optime cernitur in somnis, ecstasibus, confiniis mortis, rarius inter vigilandum, aut cum corpus sanum est & vegetum.* Quos non admirandos animæ effectus observamus in variis convulsionum speciebus, ubi quædam subiecta, variis lingvis loqui sciunt, elegantes cantus occinere futuraque prædicere norunt &c. omnia talia umbram constituunt, primæ animæ perfectionis. Admirationem porro merentur famosi illi sonambuli, qui maxima cum circumspeditione sublimia loca ascendunt, & descendunt, adeoque partes corporis in optima proportione admovent, & removent: in quibus anima huic actui unice & singulari cum attentione intenta, stupendos etiam tales effectus producit. Quamprimum vero in hac attentione & intentione perturbatur, quando semi dormientes ejusmodi homines acclamantur, à somno suscitantur, eoque ipso anima hæc graviter confunditur, mirum non est, si ab hac summa attentione &

circumspectione simul & semel revocata est, ut periculosos eventus, lapsus, contusiones, terrores vitali œconomix maxime præjudiciosos ejusmodi homines incidant; hujusmodi raram somnambuli historiam allegat *Clauderus dec. 2. ann. 5. obs. 189.* ut multarum aliarum citationi superfedeam. Annon porro admirandus hic est animæ effectus, quod se dividere possit, & in omni divisione semper tota maneat anima, id quod contingit in actu generationis, dum anima patris dividitur, & foetui in hac divisione tota communicatur, quod problema illi Physici, qui nudis materialibus divisionibus, l. diffissionibus immersi sunt, neque aliam nisi crassam materiarum diffissionem aut divisionem admittunt, vix capiunt. Tales enim semper garriunt, vel, de infinitate divisionum & partium, vel de partibus extra partes, vel de toto & parte, & hæc singula perversè ad divisionem animæ applicare volunt: cum anima non sit æquale tale subjectum, de quo in tali philosophia tractant: unde divisio animæ alterius census & indolis est, quam divisio corporum, & vicissim ex divisione corporum non licet argumentari, ad divisionem animæ: quin neque illud, ab ullo tali physico demonstrari potest, quod nullum aliud subjectum nisi corporeum divisioni expositum sit, nisi hic ad nauseam divisionem merè physicam declamatam denuo, loco objectionis, exaudiamus. Paucissimis placet analogum documentum divisibilitatis extra materiam proponere: Motus non est materia, interim unus motus dividi potest, in sex, octo, decem corpora, & tamen in quovis corpore essentialiter totus motus, non pars motus, sed totus est, qui omnes illas affectiones habet, essentielles, quæ ad motum proprie pertinent: differt itaque non quoad essentialiam, sed quoad accidens, quoad gradum &c. paucis multa dixi, plura vero de hac re differere, non permittit scopus, tempus, & occasio. Quidni & ille admirandus fuerit effectus animæ, quando divisa talis anima, in generatione & formatione corporis, tanquam sui habitaculi, parenti l. matri quoad delineationem corporis, præcipue vero faciei accurate assimilatur: hæc talia semini decido, vel ideæ humanæ in semine delitescenti assignare velle, nimis crassa subtilitate laborant, cui traditioni innumera objici possent, tanto magis cum hæc suppositiones Paracelsisticæ ens rationis

fingentis constituent, quasi in femine talis homuncio fluctuet, ubi aliquid præcoci phantasiæ in microscopiis ludenti condonandum est; ad figuram vero parentis vel matris quicquam delineare in struendo corpore foetus sine ratione nunquam succedit, sed hic apprime requiritur concursus animæ rationalis activus, ubi observandi sunt respectus, quid sit magnum, quid parvum, quid longum, quid breve, quid anterius, quid posterius, quid dextrorsum, quid sinistrorsum, quid superne, quid inferne, ubi quando, quantum, quamdiu &c. qui singuli respectus animam secundum rationem operantem spectant. Non licet plura de hac re differere, quamvis cognitu & utilia & curiosa etiam existant. Unde unicum ex multis aliis adhuc admirandis animæ humanæ effectibus, indicare lubet, nimirum præsagium mortis & morborum: quemadmodum hæc anima futura alia pericula præprimis vitam concernentia, quæ fortuito obrepere & intercedere possunt, per frequenter prædixit, ita horum imprimis & morborum, ob justam causam insultantium, & mortis phænomenon reminisci intererit, ubi minime placet latius disquirere, an semper in hisce præsagiis τὸ θεῖον concurrat, sed brevissimis indico, quod non æque necesse sit, ut ubique tale θεῖον concurrat, cum jam natura seu anima à divina clementia concessam possideat, in hisce circumstantiis, aliqualem præscientiam, utpote quæ optime novit, quibus effectibus, vel malis, vel bonis motus vitales succedunt, ut propterea prædicere possit, quomodo totus status morbi excurrat, & quando habitaculum suum deserere debeat, cum vero hæc prædictio non ex crassa cogitatione fluat, ita hoc præsagium non crassis circumstantiis innititur, neque ita urgeri potest, ut quilibet sibi mortem & morbum crasso λογισμῷ actu prædicere debeat: sed subest hic iterum subtilis quædam actio animæ humanæ, & propterea admiranda, quam non semper, neque in omnibus subjectis aut morbis hæc anima exercet, ob id iterum consideratu digna existit. Quædam subjecta prædicunt sibi morbos, & quidem periculosos, quando adhuc nihil quicquam morbidi persentiscunt, sed animo anxia sunt, nedum veram rationem, aut originem, aut occasionem, aut sedem anxietatis hujus allegare sciunt, & solum quærelas effundunt, de morbo arduo imminente, quem

vix superabunt; quædam in morbis funestum eventum aut salutarem exitum præfagiunt, cum utrobique conveniente animi constitutione & gubernatione; quædam diem, aut plane horam mortis, aut morbi emendationis prædicare norunt: qua occasione in memoriam incidit, casus qui mihi ante triennium in studioso theologiæ dysenterico obtigit, qui alias tranquilli & pensitabundi animi fuit: hic periculose dysenteria laboravit, imo in morbo denominavit certum diem, tribus diebus ante, quo mortem imminere prædixit, accessit dies, quo graviter ægrotaverat, ut mors singulis momentis exspectaretur, præteriit vero hic dies, quamvis adhuc insigniter ægrotaret studiosus ille, qui dehinc novum præfagium formavit, nimirum se nunc certo evasurum, quamvis adhuc periculose decumberet, evasit vero etiam benedicente Deo. Et quid anxietates illæ Crisin proxime antecedentes aliud sunt, quam præfagia animæ de incerto eventu, quid vero Crisi bene absoluta virium collectiones, & animi tranquillitatis recuperationes aliud sunt, quam testimonia de obtenta victoria, de morbo arduo, & præfagia futuræ sanitatis, & integræ vitæ, quo facit, quod *Hippocrates professus est. Sect. 2. aph. 13. quibus Crisis fit, his nox gravis ante accessionem, quæ vero sequitur, plerumque levior esse solet.* Utpote quod negotium latius explicavi *diff. de hæmorrhagiis Criticis.* Ejusmodi præfagium morbi ex insomnio descripserunt. *Frank dec. 1. ann. 4. & 5. obs. 104. Lanzonius Dec. 3. ann. 1. obs. 24.* mortis præfagium exposuit *Rommelius dec. 2. ann. 4. obs. 35. conf. Garmanni obs. 144. dec. 1. ann. 1. de mortis præfagio, ab odore,* missis multis aliis observationibus, (qualem aliam à me observatam de præfagio mortis per insomnium alia occasione communicabo) quæ hoc loco citare tempus & spatium non permittit, neq; spatium amplius concedit, ut de philtis aliquid disseram; Sed hæc sunt quæ, quâ fieri potuit brevitate, de admirandis animæ præcipue humanæ effectibus Tuo VIR MAGNIFICE prudentissimo judicio transcribere & insinuare volui, quamvis varia de digna hac materia dicenda essent. Interspersi observationes, quæ mihi cum primis in hac materia obtigerunt, è quibus diversas adhuc, ne TUA dexteritate abutar, reservare debui.

bui. Excipias interea VIR ILLUSTRIS, ut observanter rogo, hæc meditationes, & hanc inscriptionem favente animo, meque Tuo Patrocinio atque favore ultro dignari, ut cum magna Illustris Tuæ Personæ veneratione precor, nunquam desistas. Ast certus de me etiam sis, quod nunquam mihi defecerit & animus & voluptas, quin observatu dignissimas tales, & in re Medica æque ac philosophia morali utilissimas circumstantias possibili cum cura & attentione annotem, inque Medicinæ tam Theoreticæ, quam Practicæ commodum transferre annitar, ut tanto firmior evadat connexio, inter animam & Corpus. Impelle VIR MAGNIFICE Tuo cum Patrocinio meam curam, meosque labores & non modo hæc meas cogitationes atque literas blandis oculis, serenaque fronte admitte, sed & imposterum vel publica vel privata colloquia mea benevole semper excipe, coque ipso, meo animo subtrahe peplum timiditatis, quo in futurum similes tales, quamvis viles & exiles meditationes prudentiæ Tuæ eo confidentius offerre queam. Quibus ipsis Te, VIR CELEBRATISSIME perennanti divinæ clementiæ animus commendo, cum pio atque cordato voto, ut ab hoc flumine omnis benedictionis quælibet prosperitatis, sanitatis, & integritatis species in Te abundantissime effluant, qui tandem sub perpetuo Tuo flore atque splendore Patrocinium Tuum iterato officiose & observanter expeto meque obtestor

ILLUSTRIS TUI NOMINIS

ab. Hal. Magd.
die IX. Calendarum Februarii
 A. O. R. MDCCXIII.

perpetuo officiosum & sincerum
 Cultorem

D. MICH. ALBERTI,
 Prof. P. Extr. & Reip. Nor. Phys. Ord.